

PONTIFICIA COMMISSIO  
CODICI IURIS CANONICI  
RECOGNOSCENDO

COMMUNICATIONES

VOL. IX - N. 2

---

1977

# COMMUNICATIONES

PONTIFICIA COMMISSIO CODICI IURIS  
CANONICI RECOGNOSCENDO

PIAZZA PIO XII, 10 - 00193 ROMA

NUM. 2

DECEMBRI 1977

## EX ACTIS PAULI PP. VI

### Allocutiones

I-II-III. <i>Ad Patres Synodales V Coetus Generalis Synodi Episcoporum . . . . .</i>	199
IV. <i>Ad eos qui intersunt VII Cursui renovationis Canonicae pro iudicibus a Pont. Universitate Gregoriana promoto . . . . .</i>	209

## EX ACTIS SYNODI EPISCOPORUM

I. <i>Relatio Cardinalis Praesidis de opere praestito in recognoscendo Codice Iuris Canonici . . . . .</i>	211
II. <i>Discussio Patrum Synodalium circa Relationem . . . . .</i>	214

## EX ACTIS SANCTAE SEDIS

<i>Sacra Congregatio pro Doctrina Fidei</i>	
<i>Decretum circa impotentiam quae matrimonium dirimit . . . . .</i>	222

### Sacra Congregatio pro Episcopis

I. <i>De titulo tribuendo Episcopis coadiutoribus c.i.s. . . . .</i>	223
II. <i>De titulo tribuendo Praelatis (nullius) . . . . .</i>	224

### Sacra Congregatio pro Sacramentis et Cultu divino et Sacra Congregatio pro Clericis

<i>Responsum ad propositum dubium de S. Poenitentia anteponenda receptioni Primae Communionis . . . . .</i>	225
---	-----

### Supremum Signaturae Apostolicae Tribunal

<i>De munere defensoris vinculi Diacono permanenti committendo . . . . .</i>	226
--	-----

## ACTA COMMISSIONIS

I. <i>Transmissio schematum canonum consultationis causa . . . . .</i>	227
A. <i>Transmissionis Litterae . . . . .</i>	227
B. <i>Index generalis provisorius novi Codicis . . . . .</i>	229
C. <i>Praenotanda - Canones praeliminares et normae generales . . . . .</i>	231
II. <i>Opera Consultorum in apparandis canonum schematibus . . . . .</i>	274
A. <i>Coetus specialis studii « De Lege Ecclesiae Fundamentalii » . . . . .</i>	274
<i>Caput II: De Ecclesiae munere sanctificandi . . . . .</i>	275
<i>Caput III: De Ecclesiae munere regendi . . . . .</i>	279
<i>Normae finales . . . . .</i>	295
B. <i>Coetus studiorum de Iure poenali Pars secunda: De poenis in singula delicta . . . . .</i>	304
C. <i>Coetus studiorum de Sacramentis Synthesis animadversionum generalium . . . . .</i>	323
<i>Canones de Ecclesiae munere sanctificandi . . . . .</i>	323
<i>Titulus V: De Sacramento Unctionis infirmorum . . . . .</i>	332
D. <i>Coetus studiorum de Iure matrimoniali . . . . .</i>	340
<i>De impedimentis in genere . . . . .</i>	345
<i>De matrimonii mixtis . . . . .</i>	353
<i>De impedimentis dirimentibus . . . . .</i>	359
<i>De consensu matrimoniali . . . . .</i>	369

## DOCUMENTA

<i>Oratio Card. P. Felici in Pontifícia Universitate Gregoriana . . . . .</i>	379
---	-----

<i>NOTITIAE . . . . .</i>	382
---------------------------	-----

<i>INDICES . . . . .</i>	383
--------------------------	-----

# Acta Commissionis

## I

### TRANSMISSIO SCHEMATICUM CANONUM CONSULTATIONIS CAUSA

*Die 15 novembris 1977 transmissa sunt suetis Organis consultationis quinque schemata canonum, quibus iam tota Codicis materia absolvitur. Referuntur ex ordine Litterae transmissionis, Index generalis provisorius novi Codicis, et Praenotanda singulis schematibus apposita.*

## A

### TRANSMISSIONIS LITTERAE

Amplissime Domine,

Praesentibus Litteris Amplitudini Tuae mittuntur quinque schemata canonum novi Codicis Iuris Canonici. Haec schemata, in unum collecta, sunt quae sequuntur: De normis generalibus, De Populo Dei, De Ecclesiae munere docendi, De locis et temporibus sacris deque Cultu divino, atque De iure Ecclesiae patrimoniali.

Cum elaboratione horum postremorum schematum universa disciplina hodierni Codicis recognita est iuxta Decreta et spiritum Concilii Oecumenici Vaticani II, necnon iuxta « Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitionem dirigant » a Synodo Episcoporum anno 1967 approbata.

Amplitudinem Tuam humanissime rogo ut mentem sententiamque Organi, cui praees, circa transmissa schemata aperias animadversiones oportunas, si quae proponendae habeantur, addas: quae omnia a nostra Commissione quam attentissime perpendentur.

Haec schemata in unum collecta consultationi mittuntur, ut examen ex parte Organorum consultivorum facilius ac expeditius procedere possit, eo quod normae singulorum schematum ad invicem complentur et saepe citationes in uno schemate fiunt de his quae in ceteris schematibus statuuntur.

Pergratus Tibi fuero si responsum Organi cui praees ad hanc Pontificiam Commissionem non ultra d. 30 octobris 1978 miseris.

Interim cum observantis mei animi sensu Tibi permaneo

addictissimus

PERICLES Card. FELICI  
*Praeses*

✠ R. CASTILLO LARA  
*a secretis*

**Liber quartus**  
**De Ecclesiae munere sanctificandi**

Schema quod a Pontifica Commissione Codici Iuris Canonici recognoscendo sub titulo « De locis et de temporibus sacris deque cultu divino » proponitur, materiam comprehendit quae in Lib. III, pars II et III CIC habetur.

In ordinatione systematica novi Codicis, prout iam adumbrata est, haec materia erit pars II Libri IV, qui « De Ecclesiae munere sanctificandi » inscribitur. In parte I huius libri, enim, de sacramentis et de sacramentalibus agetur, praemissis tamen canonibus quibusdam generalibus totam materiam Libri IV respondentibus.

Ut legenti primo apparet, in novo schemate plures canones imo et quidam tituli omittuntur qui in vigenti Codice prostant, ita ut tota materia in 72 tantum canones distributa sit. Mens Commissionis fuit ut in novo Codice non retineantur normae liturgicae, nisi quae peculiarem rationem disciplinarem induant, quarum observantia exigitur non solum ad cultum rite ordinandum sed etiam et praecipue ad ordinem externum Ecclesiae fovendum. Cum enim totus complexus legum liturgicarum post Concilium Vaticanum II funditus recognitus sit, non est ratio eandem recognitionem in novo Codice proponendi.


Commissio praeterea opportunum censuit non paucas normas omittere, quae in vigenti Codice habentur, vel quia materias tangunt quae melius a iure particulari videri possunt, vel quia, dignitate legum carentes, cum normas minutae dent, aptius disponi possunt per ordinationes peculiares a competentibus organis editas. Hoc sane modo Commissio principium subsidiarietatis secuta est, secundum indicationes quae habentur in *Principia quae Codicis Iuris Canonici recognitio nem dirigant* a Synodo Episcoporum approbata.

Praesens schema tres sectiones habet, scilicet de locis sacris, de temporibus sacris, de cultu divino.

**DE LOCIS SACRIS**

Ad notionem « Ecclesiae » quod attinet non amplius sustinetur distinctio ecclesiastis inter et oratoria publica, quae distinctio in Codice vigenti tantummodo a fine originario erectionis aedium desumitur; qua de causa utraque in novo schemate sub nomine « ecclesiae » veniunt (can. 8).

« Oratorii » nomen autem designat locum divino cultui, in commodum aliquius communis vel coetus fidelium eo convenientium, de licentia Ordinarii, destinatum, ad quem etiam alii fideles de consensu superioris accedere possunt



(can. 17). Nomine autem « *sacelli privati* » intelligendus est locus divino cultui, in commodum unius vel plurium personarum physicarum destinatus (can. 18).

Normae quae de his locis dantur disciplinam vigentem fere semper repetunt, parvis inductis mutationibus.

Titulus omnino novus introducitur in quo et notio et normae peculiares dantur de sanctuariis (cann. 24-27).

Ad sepulturam ecclesiasticam et coemeteria quod attinet, paucae tantum normae generales dantur, quae valorem universalem habere videntur, quaeque hodiernis conditionibus et moribus aptari possint.

De crematione cadaveris norma datur iuxta Instr. S. C. pro Doctrina Fidei diei 5 iulii 1963 (*AAS*, 56, 1964, pp. 822-823) (can. 28, § 3).

De cadaveris translatione ad ecclesiam, funere ac depositione Commissio censuit normas dandas esse quae hodiernis rerum adiunctis respondeant (cann. 33-38). Si enim mens est ut sic dicta « *iura stolae* » supprimantur in Ecclesia, celebratio funeris ut servitium magis onerosum quam frugiferum erit, ita ut iam non normae dari debent eum praesertim in finem clare determinandi iura ecclesiarum circa taxas vel eleemosinas occasione funerum de more solvendas, sed potius eum in finem ut determinetur quaenam ecclesia *officio* funerandi tenetur.

Quoad exequiarum ecclesiasticarum denegationem, magis congruum visum est criterium generale statuere quod nititur ratione scandali publici, ita ut exequiis ecclesiasticis privandi sunt, nisi ante mortem aliqua dederint paenitentiae signa, peccatores quibus eadem exequiae non sine fidelium scando concedi possunt. Ideo nullus index casuum huiusmodi peccatorum praebetur (can. 40).

#### DE TEMPORIBUS SACRIS

Normae quae de temporibus sacris in schemate proponuntur novitates non paucas continent, sive quia per recentiora documenta S. Sedis plures mutationes inductae iam sunt, sive quia contextus socialis et mores populorum ita evolvuntur ut leges flexibiliores in hac materia opportunae videntur, quae opportunitatem praebant pastoribus interveniendi secundum varias circumstantias. Qua de causa index festorum de pracepto in iure communi reductus est ad dies qui de facto in universa Ecclesia sub pracepto servari possunt et debent, facultate concessa Episcoporum Conferentiis determinandi quinam alii dies festi in suo territorio sub pracepto servandi sint (can. 45). Item quoad requiem festivam, loco enumerationis operum prohibitorum, aptior visa est norma ex requiei finibus definita, ut scilicet christifideles abstineant ab illis operibus et negotiis quae cultum Deo reddendum, laetitiam diei Domini propriam, aut debitam mentis et corporis relaxationem impediunt (can. 46). Hoc modo lex congruere videtur hodiernis moribus

socialibus necnon conditionibus oeconomicis simulque arceri videtur illa casuistica scrupulosa quam enumeratio operum prohibitorum taxativa fovere solebat. Circa praeceptum participandi Missae celebrationi diebus festis, proponitur ut illud satisfieri possit sine ulla limitatione *ubicumque legitime celebretur ritu catholico* (can. 47).

De congrua dierum paenitentiae observandorum ratione proponitur quae rigidam disciplinam communem sive quoad dies sive quoad formas paenitentiae vitat pro tota Ecclesia; attamen cum committatur Episcoporum Conferentiis ut de his pressius determinent, quaedam indicationes ipsis dantur ut saltem aliqua forma paenitentiae instauretur communis (ieunium) et aliqui dies item communes pro tota Ecclesia in quantum fieri possit ut dies paenitentiae habeantur (can. 48).

#### DE CULTU DIVINO

Inter canones generales eminet norma de competentia circa ordinationem librorum liturgicorum, quae unice reservatur S. Sedi et Episcopis ita ut « nemo omnino alias, etiamsi sit sacerdos, quidquam proprio marte in liturgiam addat, demat aut mutet », prout ad litteram dicitur in n. 22 Const. *Sacrosanctum Concilium*, quo redactio canonis 51 schematis fundatur.

De communicatione in sacris cum acatholicis, in hodiernis adjunctis, fieri non potest ut normae nimis fixae constituantur in Codice. Insuper quaestiones quae immediate tangunt administrationem et susceptionem sacramentorum in parte de Sacramentis considerantur. Firmis ideo illis praescriptis circa sacramenta, duo tantum principia heic enuntiantur:

1) Catholici, iusta de causa, adesse possunt cultui liturgico fratrum seiunctorum, vel etiam in ipso aliquam partem habere, servatis tamen his quae ab Ordinario loci vel a Conferentia Episcopali statuta sint.

2) Si fratribus seiunctis desunt loca in quibus caeremonias suas rite et digne celebrent, Ordinarius loci usum aedificii catholici vel coemeterii vel templi concedere potest, iuxta normas a Conferentia Episcopali statutas (can. 52).

De cultu sanctorum, sacrarum imaginum et reliquiarum paucae et essentiales normae dantur quibus praxis Ecclesiae in tali materia sustinetur, Ordinarii loci ius et officium asseritur curandi rectam devotionem christifidelium et de conservatione imaginum et reliquiarum cavetur (cann. 55-58).

De voto et iureiurando mutationes paucae introductae sunt, ut normae exigentibus pastoralibus magis congruant. Ita ex. gr. opportunum visum fuit ut *nulla vota privata* maneant reservata Sedi Apostolicae (cfr. can. 64); propter quaestiones controversas circa obligationem voti tam realis quam mixti relate ad heredes, tantum obligatio emitentis lege urgetur (can. 61).